



00 2

00 2



1781.

VERSIO ALEXANDRINA
GRAMMATICÆ HEBRÆÆ
MAGISTRA



PROLUSIO
EXAMINI SCHOLÆ

REFORMATÆ,
A. D. II. April. Hor. VIII. antem,
clō lō CCLXXXI.
H A B E N D O,

PRÆMISSA

A

THEOD. FRID. STANGE.



COTHENIS,
LITTERIS SCHOENDORFIANIS.



Versionem Alexandrinam, quam male septuaginta interpretes appellant, maximam utilitatem sacrarum litterarum interpreti adferre nostra ætate a plurimis satis est demonstratum; nec quenquam futurum arbitror, qui ea ad intelligentiam sanctæ doctrinæ carere se posse existimet. Quis translationem eam, quæ ad auctoritatem testimoniorum Christi apostolorumque confirmandam, & illustrandam, ad genuinum novi Testamenti genus scribendi recte intelligendum, ad græcos latinosque patres bene versandos, ad scientiam linguæ græcæ ipsamque critice augendam tam sit utilis ac necessaria, quis, inquam, talem versionem theologis non velit esse commendatissimam? Quis enim sit religionis tantus osor, tantus proditor, qui nolit studiose attingere eos
libros

libros, quorum lectione opes & copiæ hebraicarum literarum facillime colligi, & augeri mirifice possint; quorum accurata intelligentia amissi & ignoti singulorum verborum hebraicorum significatus restitui, usitati notique confirmari; verborum junctorum formularumque potestas, cum omnino, tum loco quoque reperiri; vera & legitima interpretandi ratio imbibiri; lectio denique multorum locorum mendose vitioseque scriptorum vera & genuina indagari constituique possit. Quamvis vero tot ac tantæ utilitates ex Alexandrina versione ad theologiam scientiam redundare appareat, atamen non dubito, quin multæ res supersint, ad quas nondum est accommodata atque in consilium adhibita. Sic ad grammaticam Hebraicam; non eam vero dico, quæ ex veterum Romanorum consuetudine universam critice & interpretandi rationem complectitur, nam ad hanc sæpius a non paucis est consultata; sed ad eam, quam vulgo dicunt, confirmandam & illustrandam adhiberi posse arbitror. Constat enim inter omnes, auctores hujus versionis ea ætate vixisse, qua lingua hebraica adhuc floreret & in usu esset, saltem multo melius eam callerent, quam nostræ ætatis homines, ut ut omne adhererent studium. Nam quando historiam hujus grammaticæ cum Rich. Simonio & Wolfio paulo altius repetamus, seculo demum undecimo aut duodecimo eam a Judaicis doctoribus, hominibus litterarum humaniorum rudibus, omnisque elegantioris doctrinæ expertibus conditam atque adornatam reperiemus. Ex Davidis Kimchii opere, quod מכלול appellavit & duodecimo demum seculo compositum, omnes Judaicorum æque ac Christianorum tanquam e fonte perenni mana-

runt institutiones grammaticæ. Quare rivulos tam turbidos, præceptaque falsa & insulsa haud miremur. Huc accedit, quod grammaticorum industria ac diligentia maximaam partem non in ipso linguæ genio, sed in punctis recentiore ætate inventis est versata. Fuerunt quidem, nominatim Schultenius ο πικυ, qui eam ex dialectis, maxime Arabica lingua illustrarent, & clariorem lucem huic arti accenderent: sed quod dudum in eo viri docti desiderarunt, quod versiones veteres veritatis hebraicæ raro consuluerit, idem in explicandis grammaticæ legibus locum habet. Hi enim interpretes æque ac reliquæ orientis linguæ, grammaticæ hebraicæ sunt magistri. Qui si consulti fuissent, præsertim in vocabulis & legibus grammaticæ difficilibus, non tot perversa præcepta, tot regularum anomalias in ea inveniremus. At neminem, quantum nos quidem scimus, adhuc cognovimus, qui hoc auxilio subsidioque in confirmandis dijudicandisque grammaticorum legibus usus fuisset. Quare a consilio hujus scriptiuncule non alienum visum est, pauculis exemplis versionis Alexandrinæ usum in grammatica Hebraica ostendere, illamque hujus magistræ constituere. In quo adminiculo adhibendo multæ verò observandæ sunt cautiones. Nam distinguendi sunt interpretes diversorum librorum, quorum alius alio diligentior in vertendo fuit. Cavendum est, ne verba interpretum corrupta habeamus pro fanis, nam non potest negari librarios frequenter in describendis libris peccasse, ut, quæ vera lectio esset, sæpe non appareret. Observandum præterea est, interpretes sæpe non aliam lectionem, sed aliam & rariorem verborum significationem, esse secutos. Reperiuntur denique

denique interdum græcissimi studiosores, quam veritatis hebraicæ. His observatis, vera demum potestas formaque verborum intelligi perspicique poterit; rectiusque nos hi interpretes, quam doctores Judaici grammaticam docebunt. Sic, ne quæ hæctenus scriplimus, frustra dixisse videamur, præcipiunt grammatici tantum non omnes Nic. Guil. Schröderum*, qui hodie accuratissimus grammaticus habetur, excipio**, ה il-lud, quod falso paragogicum vocant, in nominibus & masculinis & femininis, quin verbis significationem intendere & superlativum gradum efficere. ישועתה*** non denotare per se salutem, sed omnimodam; המותה † mortem acerbissimam; נחלה †† torrentem violentissimum; עלותה ††† summam iniquitatem; כוזמתה †††† sce-lus atrox; נפלאותה* mira fuit admodum; השפלה** hu-milime admodum, volunt. Plura hujus formæ exem-pla videas apud Altingium, Schultensium Hezelium, a-liosque in libris grammaticis. At quibus quæso argu-mentis

* V. Nicol. Guil. Schröderi Institutiones ad fundamenta linguæ hebrææ p. 264. ** Ne quis existimet, me Schröderum exclusum ex hoc grammaticorum numero velle, in gratiam tironum notandum, verbum *excipere* non significare veteribus latinis id, quod denotat *excludere*, sed potius contrarium ejus includere, nominatim numero quodam denotare aliquid, tanquam Plinius Maior libr. 29. 1. & 8. *Quum græcos Italia pel-lerent excepisse medicos* i. e. ut bene Gesnerus annotat in an-not. Plinii Jun. panegyri. p. 538 edit. an. 1770. subjectis, no-minatim illos inclusisse, & ne quis eximios illos haberet, ca-visse. *** Psalm 3, 3. † Pl. 116, 15. †† Pl. 124, 4. ††† Hof. 10, 13. †††† Jer. 11, 15. * 2. Sam. 1, 26. ** Ezech, 21, 26.

mentis hanc legem demonstrabunt; sive enim dialectos, sive versiones sequamur, nullum hujus rei indicium apparet. Auctoribus versionis Alexandrinæ ignotam fuisse, ostendunt exempla, ad quæ provocant. Si significationem ejusmodi formulæ novissent, sine dubio verbis superlativum significantibus expressissent, alias plerumque verba *κατα εητον* vertentibus. Allata enim exempla sine ulla adjectione vertunt: *σωτηριαν, θανατον, χειμαρρον ασβειαν, βδελυγμα, εθαυμασθη, το ταπεινον*. Quare talem significationis vim interpretibus nostris ignotam grammaticorum ingenio potius relinquamus, quam ut verbis sacrarum litterarum inferamus. Poetis hebraicis hanc *תּוּ* adjectionem tantum ea de causa solemnis fuisse videtur, ut productione syllabæ majorem gratiam verbo conciliarent.

Nomina Hebræorum feminina in numero multitudinis non modo terminationem *תּוּ*, sed etiam ex chaldaica dialecto *תּוּ*, rarius licet, habere, observarunt non nulli grammatici, ut Schroederus* & Hezelius**. Ad quam rationem reducunt *תּוּצַת**** & *תּוּתְהָת***** aliaque vocabula. Haud temere! Pluralem enim numerum haud obscure illud ' ante affixa indicat, maxime vero Alexandrinorum interpretum auctoritas eundem confirmat; illud enim verterunt: *εν ταις βελαις σου*, hoc: *τας ανησεις σου*. Forsan olim plura exempla in sacris litteris fuerunt, quibus vero punctatores alia & quidem consue-

* in Instit. ad fundament. L. H. p. 168. ** in uberiore grammatica hebræa, quam theodisco sermone composuit p. 465. *** *Jes.* 47, 13. **** *Pf.* 9, 15.

consuetu puncta ex ignorantia adjicere. Errat vero cum multis Jo. Dav. Michaelis * putans in his nominibus affixa pluralia nomini singularis numeri esse addita. Si dialectos linguæ hebrææ, quas alias raro negligit, & versionem græcam consuluisset V. Perill. von tantam effinxisset anomaliam. — Imperativum hebræorum interdum iisdem punctis, quibus infinitivum insigniri nonnulli jubent grammatici, ** Atque multis locis illustrare student eam verbi formam. Aliis vero exempla, quæ afferunt, infinitivi more græcorum habentur, quibus familiare sit infinitivum pro imperativo ponere. Ita Homerum *** Σὺ δ' εὖ κρινασθαι εταιρος tu vero probe elige socios, & Phocylidem: **** μητε γαιουλοπσειν, ne furtim nuptias contrahes, Paulum ipsum: † χαιρεν μετα χαιροντων, infinitosque eodem modo loqui. Falluntur vero utrique & qui arbitrantur, in omnibus ejusmodi locis infinitivum pro imperativo poni, & qui ipsa illa vocabula imperativi modi habent. Est manetque infinitivus, modo δει vel χην debet suppleri. Ita etiam in hebraicis, per ellipsin futurum debet subintelligi. Id quod saltem Alexandrini interpretes volunt. Tanquam פתות אתה פתים יצקת Lev. 2, 6. expresserunt: διαθερψεις αυτα κλασματα, quasi scriptum esset: פתות תפתות. Est itaque illis infinitivus cum omisso futuro. Clarius id ex alio loco, Num. 25, 17. patet, ubi legitur: צרו את המרינים, si enim futurum תצרו non esset supplendum & revera

* in Grammat. Hebr. p. 278. ** Vid. Jac. Altingii fundamenta punctationis §. 117. & Nic. Guil. Schræderi Institutiones ad fundamenta L. H. p. 65. *** Odyss. δ. 408. **** In sententiis v. 1. † Rom. 12, 15.



revera imperativus in singulari esset, vertendum foret, *hostiliter age cum Midianitis*, quod vero sequens והכיתם *vetat*, quo sermo non ad Moſen, ſed ad Iſraelitas refer-
tur. Bene expreſſit verſio Alexandrina: *εχθρατε τοις*
Μαδιαναιοις. Non poſuerunt *εχθρατε*, ut oportuiſſet, ſi
futurum non reſpexiſſent. Inveniuntur quidem, fate-
or loci, ubi non futurum ſed imperativum interpreta-
ti ſunt, ſed ibi magis ſententiam quam verba ſequuntur;
ſic זכור *משה* verterunt. Si itaque grammaticæ con-
ditores noſtros interpretes auctores habuiſſent, non e-
juſmodi anomaliis, quibus quidvis miſcetur, præcepta
grammatices difficiliora effeciſſent. Sed ad alia progre-
diamur!

Pecudes vitioſæ ac morbidæ, quibus labibus deus
victimas carere voluit, a Malachia c. 1, 14. dicuntur,
משחת. Hoc Simonis in Lexico* & alii conflatum e-
ſſe e *משחת* volunt, tamen certiffimum videtur, eſſe po-
tius participium, quo declaretur pecus & victima vi-
tioſa. Refertur enim ad nomen זכור, quo indicatur exi-
mia victima. Atque ſic acceperunt Alexandrini inter-
pretes, nam expreſſerunt illud ſimpliciter ſine ulla di-
ſcrepantia *διεφθαρμενον***

Vulgo

* ſub voc. *שחת*. ** Hoc jam ante me vidit Fiſcherus, V. C.
in prolul. prima, qua loci nonnulli librorum N. T. e verſione
Alexandrina oraculorum Malachiz illuſtrantur p. 27. in eo ve-
ro errat Vir doctiffimus, quod putavit certiffimum, ſcribendum
eſſe *משחת* non *משחת*, uti hodie editur. Nam licet parti-
cipium ſit, tamen æque ac nomina, ſequentē ל, uti h. l. in re-
gimine, ut vocant, poni poteſt, & hic revera ponitur. En ſi-
mile exemplum; 2. Paral. 23, 28. *טהרת לכל־קרש* legitur ac

Vulgo grammatici putant, ו per paragogen nominibus nonnunquam sine ulla ratione addi. Nam quicquid hi homines ignorant, id iis est figura. Conferentibus vero nobis hanc vocabulorum formam cum Alexandrina interpretatione peculiaris potius forma terminationis pluralis numeri est visa. Nec mira hæc nobis videri debet, nam linguæ arabicæ consueta terminatio est, ut pluralis in regimine terminationem *ת* ו habeat. Ubi itaque ejusmodi nominibus in regimine positus adjectum est, ibi potius ו scribendum esse videtur. Sic hoc ו reperitur in verbis: הִיתוּ אֲרִיץ, Gen. I, 24. Ps. 79, 2. Ps. 104, II. & חִיתוּ-שׂוּרִי Jes. 56, 9. חִיתוּ-יַעַר Ps. 50, 10. 104, 20. Contra quosdam quidem locos possit dici, versionis Alexandrinæ auctores, verba collective, ut, vocant, intellexisse. Atque ut רִמַּשׁ Gen. I, 24. & alia per pluralem numerum vertissent, ita & allata per *θηρια της γης*, *θηρια τς αγερας και υλης*, ipsum adeo nostrum חִיתוּ ita expressissent in sequentibus. Huc accedere, dicent forsitan, quod nomina in singulari cum vocabulo בל iuncta, per pluralem verti soleant. At sunt loci, in quibus בל non scriptum, ut Ps. 79, 2. tamen per pluralem *τοις θηριοις* redditur; reperiuntur nomina, quæ collective dici non possunt, tanquam Ps. 114, 8. מַעֲיָנוֹ-מִים, nihilominus versum est *λιμνας υδατων*. Cave vero huc trahas nomina ea, quibus ו Syrorum more, ut adfixum *πλεονασιτως* adjunctum, utי בנו בעור quod tantum significat *filium Beoris*. Melius vero cum Schultensio* & He-

B

zelio

vertitur a magistris nostris: *καθαρισμον των παντων αγιων*
Eandem lectionem probant codices & editiones, uti Coccejus id observat in Lexico sub h. V.

* In instit. ad fundam. L. H. pag. 501.

zelio** huc referas ea nomina, quæ terminationem quidem ὶ habent, sed quæ a Masorethis in ׳ commutata sunt. Sic בְּנֵי אֱלֹקֵינָה 1. Chron. 6, II. non emendandum est in בְּנֵי ut puncta Hebræorum id volunt; est enim Arabum status constructus, & ex inscitia linguæ arabicæ tantum ita correctum est.

Pluralem Hebræorum numerum habere non solum terminationem ם, sed etiam Syrorum more ׳ præcipiunt quidam, ut Simonis in Lexico** & Arcano formarum*** & nuperrime Hezelius**** & alii. Errant vero hi Viri, nam ׳ Syrorum tantum in statu constructo, non absoluto, cujus tamen nomina asseruntur, locum habet. Atque exempla, & singularis numeri esse possunt; uti a versione Alexandrina vertuntur, e. g. נְבִיִּי Nah. 3, 17. *αγγελις*; & pluralia cum affixo primæ personæ, ut זְרֵי Zach. 14, 5. quod redditur *οχη μσ*. Eademque fere reliquorum est ratio. Minime vero sunt audiendi illi, qui שְׂרֵי, quod agrum significat, huc trahunt, nomenque pluralis numeri esse volunt. Nam ex Psalmi † loco, ubi dicitur: יְעֹל שְׂרֵי, fatis singularis apparet & Alexandrini interpretes plurimis, ubi occurrit, locis, confirmant, vertunt enim *rov αγγελον*. Quodsi scivisset Theod. Christ. Lilienthalius V. S. V. in commentatione critica, qua sistit duorum codicum MSctorum biblia Hebraica †† ad libri Ruth primum caput non tam inscienter scripsissent. Ita ait: *pro בְּשֵׂרֵי leg. בְּשֵׂרָה singulariter. Ita Targum, LXX, Syrus, Arabs. Eadem ratione v. 22. pro מְשֵׂרֵי*

* in Grammat. uberior. p. 461. ** pag. 167. *** pag. 49.
**** In libr. cit. pag. 462. † Pl. 96, 12. †† p. 119.

משרי leg. משרה ut habent LXX Targum & Syrus, nec non Cap.
 u, 6. consentientibus omnibus antiquis versionibus. Valde errat in
 eo criticus noster, quod putat בשרי esse pluraliter po-
 situm; nam cum singularis, ut vidimus שרי sit, necessa-
 rio in statu constructo בשרי scribendum fuit: ejusmodi
 enim puncta nominibus in ' finitis subjiciuntur, ut vel
 tironibus notum. LXX & reliquæ veteres versiones
 itaque non legerunt בשרה, cum verterent εν αγρω, sed
 ut in nostris editionibus vulgo legitur. בשרה Tu tan-
 tum, Lilienthali, illis affingis eaque nota critica super-
 sedere potuisses. Prius grammaticæ studeas, quam criti-
 cum agas. --- Sunt haud pauci, qui ל non dativi tantum,
 sed etiam genitivi notam existiment, idque notissimo il-
 lo מומר לדור probare velint. Cur vero hoc non cum
 Alexandrina Versione ψαλμος το δαυιδ transferri possit per
 dativum, nullus video. --- R. D. Kimchi & qui ejus
 sententiam sequuntur opinantur, demonstrativum pro-
 nomen הוּ semel ** scriptum esse גה. Alexandrinos,
 ταυτα vertentes, euolventi facile apparet, ibi eodem
 modo, quo alias הוּ scribendum esse, nam eadem ratione
 mox sequens הוּ per ταυτα vertitur, ita ut similiter le-
 gisse videantur, quod quid etiam Alb. Schultensius ***
 contra dicat. --- יתן **** semper grammaticorum in-
 genia torfit. Aliis pro יתן positum est, aliis aliter.
 Omnia vero erunt legibus convenientia, si cum inter-
 pretibus nostris legamus יתן; verterunt enim πτοησει
 σε; id quod etiam verborum series postulat. Atque
 B 2 quam

* Ezech. 20, 26.

L. H. p. 227.

** Ezech. 47, 13.

**** Habac. 2, 17.

*** In Instit. ad fund,

quàm facile litteræ ך & ך permutari potuerint, vel me-
tacente, quivis videt. Esse Hebræis plures quam sep-
tem conjugationum formas, omnes, qui non ex judaicis
doctoribus toti pendent, multis argumentis demonstra-
runt. Et Alexandrinorum auctoritate uti potuissent.
Esse conjugationem Hothpahal, passivam conjugationis
Hithpahel, הִתְפַּקֵּר* perspicue evincit. Nam cum sen-
tentia significationem passivam requirat, & ita a
LXX. quoque συνεπεσκηθησαν reddatur, non ad Hithpa-
hel, sed ad Hothpahal referendum. Eadem ratione plu-
res conjugationum formæ adstrui possent.

Schultensius** legem linguæ hebraicæ figit hanc: Ka-
mezchatuph existere posse ante gutturales, ob extru-
sum dagesch forte. Quod cum peritissimi ignorarint,
in contortas ideo explicationes cecidisse. Ita בְּחֵרֶת***
omnes, præter ipsum, interpretes ad Kal trahunt:
quum tamen vis sententiæ Pyhal requirat; utque lega-
tur Bocharta. Bene! Nam nostra versio consentit &
transfert: ἐξείλω ἀπο πτωχείας. Eorum grammaticorum
opinionem, qua diversa tempora, diversasque conjugatio-
nes commixtas & quasi conflatas arbitrantur, minime
favent Alexandrini interpretes. Semper unum tempus,
unam conjugationem exprimunt. Si judaicorum gram-
maticorum hac in re leges secuti fuissent, interpretan-
do sine dubio eas exprimere studuissent. Nusquam ve-
ro ejusmodi combinationes in iis observavimus. מְקַלְלוֹנִי
**** sunt illis tantum καταρομενοι, nec ex מְקַלְלוֹנִי & מְקַלְלוֹנִי
com-

* Num. 26, 62. 1. Reg. 20, 27. ** l. c. p. 133. *** Job, 36,
21. **** Jerem, 15, 10.

commixtum, nec significat eis, uti nostri homines eleganter scilicet exponunt, *maledicentes mei maledicunt mihi.* המנהי * *muavDvav* interpretantibus non conflatum ex Hithpahel & Hophal, sed peculiaris verbi forma Hothpahal fuisse videtur. Ita sexcentæ aliæ ejusmodi vocabulorum formæ ex Alexandrinis in analogiam reduci potuissent, sed ne longi fieremus, nolimus omnia singulatim persequi. Atque vel sic satisfecisse speramus consilio nostro, quod erat, ut ostenderemus, quantum prodesse posset studiosa ac diligens versionis Alexandrinæ lectio iis, qui vellent naturam ingeniumque grammaticæ hebraicæ accuratius cognoscere.

* Deut. 24, 4.

Animus jam festinat ad id, cujus causa superiora scripsimus, quæ erat hæc, ut examen discipulorum scholæ nostræ indicemus. Lektionen, quibus ingenii dotes, studium atque industria optimæ spei adolescentulorum explorabuntur, sunt hæc: institutio christianæ religionis, orationes Ciceronis, græca, historia, Horatii carmina, dialectica. Nomina oratiunculas recitantium sunt hæc: Car. Frid. Lebr. HOLZER, Cotheniensis, virtutem in voluptatis regno non posse consistere, declarabit. Chr. Fr. WACHTER, Bernburgen-

burgensis, probabit sententiam: virtute decet, non sanguine niti. Leop. Chr. Alb. BERENDT, Wedlitio-Cothen. Senecae illud: folius temporis honesta avaritia est, demonstrabit. Joa. Nic. Lud. HUNERKoch, Microwulknitio-Cothen, temperantiam laudibus extollet. Quatuor hi, quisque pro ingenii modo, latine oratiunculas componere studuerunt; quorum simul primus & tertius ante discessum e schola suam in Academiam fautoribus gratum declarabunt animum. Chr. Lebr. KEILIG, Cotheniens. necessariam esse intelligentiam linguae patriae sacrarum litterarum studiose persuadere conabitur. Joa. Geo. SCHMIDT, Cotheniens. commilitones adhortabitur, ut cautionem in eligendis amicis adhibeant. Aug. Guil. BIEDERMANN, Cotheniens. utrum semper paternum vitae genus sit sequendum, quaeret. Car. Chr. Laurent. BIEDERMANN, Cotheniens. praecipis stultorum non parendum esse, ostendet. Quatuor hi theodisco sermone dicent.

Huic scholasticae solemnitati, ut Patroni ac Fautores scholae nostrae, ceteri omnium ordinum praestantissimi


tissimi Viri, suis quisque muneribus, titulis ac meritis
ornatissimi, & quicumque præterea litteras profitentur
& amant, beneyoli frequentesque, interesse ne gra-
ventur, ea, qua par est, observantia rogamus
& obtestamur.

P. P. Cothenis d. XXX. Mart. A. R. S.
clō lo cclxxxi.



Vultis Vobis quibus manus vestras
 emittimus & quibus litteras proferimus
 & amant, benevoli fructusque inter se no-
 ventur, eos qui per est, observantia rogamus
 & obsecramus

E. P. Coblenz d. XXX. Mart. A. R. S.
 ob h. cor. XI.



877015

ULB Halle

3

007 437 846







1781.
ALEXANDRINA
CÆ HEBRÆÆ
GISTRA

LUSIO
SCHOLÆ

RMATÆ,
Hor. VIII, antem,

CCLXXXI.
BENDO,

RÆMISSA
A
TRID, STANGE.



THENIS,
SCHOENDORFIANIS.

